



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

V. V. Theologia dignitate easdem simpliciter superet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

tiuæ repugnet, etiam obiecto falso, adeo quæ minimè reuelato assentiri.

Vnde etiam confirmatur assertio. Quia ille habitus, viro quoque modo certitudinis, cedit habitibus naturalibus evidenteribus, cui simpliciter & absolu-  
tè potest subesse falsum: Sed habitui Theologiæ opinatiæ, simpliciter & absolu-  
tè potest subesse falsum, vt antea dictum. Theologus enim Catholicus, si in herefia incidat, retinet eundem habitum Theologiæ opinatiæ, eodem quæ illo, ac sub eadem ratione formalis, humanæ scilicet fidei assentitur nunc etiam errori heretico, per quem & antea op-  
positum credebat, & nunc etiam credit ceteris veri-  
tabus fidei & Theologiæ, quas non negat. Erratio est; quia conditio materialis obiecti non variat ha-  
bitum: Cum ergo reuelatio diuina tantum sit con-  
ditio materialis obiecti, respectu Theologiæ opinatiæ, quæ per ipsum habitum formaliter non attin-  
gitur; hinc sit, vt siue ea obiectum eiusdem habi-  
tus verè afficiat, vt in veritatis fidei & Theologiæ supernaturalis accidit, siue non, minimè tan-  
men ideo ratio habitus Theologiæ opinatiæ va-  
rietur.

**Ex quo** denique evidenter appetet, verum esse, quod superioris contra Vasquezum diximus, assen-  
sum siue habitum Theologiæ nostræ, ex eius quidem sententia, simpliciter esse minus certum, quam sibi habitus naturales evidentes; quandoquidem ille aliam Theogiam non agnoscit, quam opinati-  
um, vtr vidimus.

Ex quibus etiam soluitur obiectio, qua contra-  
presentem assertionem, & rationem primam, pro  
eadem allatam, probare aliquis posset, Theologiæ opinatiæ certiorem esse, certitudine infallibilitatis, alijs habitibus naturalibus evidenteribus, ex eo, quia eius obiecto materiali (quod est veritas fidei) ex hypothesi subesse falsum nulla ratione potest. Nam vt initio etiam huius dubitationis dictum, certitudo infallibilitatis alicuius habitus, non sumitur, nec potest sumi ex materiali obiecto, sed formalis. Quo, seu ratio formalis obiectua. Alio-  
qui si ex materiali obiecto sumeretur, fieri posset, vtridem habitus, respectu diuersorum, actuum circa materialia obiecta diuersa, partim effet certissimus certitudine infallibilitatis, partim incertissimus. Quia ergo per accidens est Theologiæ opinatiæ, aut certe vtrumque perinde, siue pro obiecto habere veritatem fidei, aut errorem hereticum, non potest ipsa certitudine infallibilitatis dici superior ha-  
bitibus naturalibus evidenteribus.

Quæ ipissima etiam causa est, cur certitudo illa actus reflexi, quam Theologiæ huic Valquez tribuit, reuera propriæ ac re ipsa nulla sit certitudo; cum possit promiscue Theologiæ eidem opinatiæ, tam circa veritates fidei, quam circa errores fidei oppositos conuenire; quandoquidem vtrique iudicata assentiens, se in eo, quod cogitat, falli non posse; cum tamen vt per accidens in illis non fallitur, ita in his re ipsa turpissime fallatur, & quidem per eundem habitum Theologiæ opinatiæ, vt dictum. Vniuersim igitur loquendo, sicut ex pia motione voluntatis, non adhærendum firmius est omni obiecto, aut etiam veritati Theologiæ opinatiæ (vt

si nimis, aut obiectum illud complexum falsum sit, aut nullo modo diuinitus reuelatum) ita etiam verum non est, vniuersim obiecto eius, seu formalis, seu materialis falsum subesse non posse; et si alicui quidem obiecto eius materiali complexo, per accidens subesse falsum non possit; quia est diuinitus reuelatum, adeo quæ simul etiam obiectum fidei, aut Theologiæ super naturalis, quod, vt dixi, Theologiæ opinatiæ per accidens est.

### D V B I V M V.

*Utrum Theologia simpliciter pre-  
stet dignitate omnibus alys  
scientijs & disci-  
plinis.*

S.Thom. I. p. q. i. a. 5.

**N**on instituitur comparatio Theologiæ cum si-  
de, aut virtutibus, seu donis supernaturalibus,  
in intellectu positis. Constat enim satis, Theologiæ his omnibus esse inferiorem. Fide quidem. Tum quia hæc immediate nititur reuelatione diuina; Theologia vero solum mediata. Tum quia fides ob eandem causam, habet se veluti habitus principiorum respectu Theologiæ: Est autem habitus principiorum præstantior, habitu conclusionum, quæ inde deducuntur. Alijs vero habitibus supernaturalibus in intellectu positis, vt est donum sapientiæ, donum intellectus, donum scientiæ, donum consilij, item virtus infusa prudentiæ, dignitate cedere Theogiam, ex eo videtur probari; tum quia prudentia infusa, & quatuor illa dona Spiritus sancti, veluti individui comites charitatis, propria sunt munera & ornamenta filiorum Dei, ob eamque etiam causam, ipsam quoque fidem supernaturalem, ex ea parte superant; vt suo loco in I. 2. docetur cum S. Thoma quæst. 65. artic. 2. & quæst. 68. artic. 5. esto alioquin simpliciter cedant virtutibus quibusvis Theologicis, iuxta S. Thomam ibidem artic. 8. Tum quia habitus illi supernaturales & infusi magis immediatæ & intrinsecæ conferunt ad supernaturalem beatitudinem hominis. Tum quia immediatus etiam nitetur lumine vel ratione supernaturali Spiritus sancti, vt suo loco docetur.

Neque etiam de arte, vel prudentia acquisita sermo est: quia & illa constat, Theogiam omnibus modis superiori esse; tum ratione obiecti & certitudinis; tum ratione finis. Quod pariter etiam de prudentia, vt est virtus acquisita, dici potest: Præterquam quod ratione formalis obiectua Theogia tristisque longè excellit, vt à potiore ex sequentibus patebit. De alijs ergo solum habitibus & disciplinis naturalibus siue acquisitis est quæstio, quales sunt intellectus, siue habitus principiorum naturalium, sapientia, siue Metaphysica, & scientia, cum omnibus suis speciebus, in quibus sunt præcipua, quæ sub Philosophia nomine comprehenduntur, vt sunt præter Metaphysicam, quam sapientia nomine in-

figuit Aristoteles, Mathematica, Ethica, Physica, &c. His addere possumus etiam Iuris utriusque tam Canonici, quam ciuilis prudentiam, quibus omnibus Theologiam nostram, non opinatiu[m] illam, qua solummodo secundum quid talis est, sed eam, qua simpliciter talis est & dicitur, conferemus, iuxta dicta superiorius q. 2. dub. 2. & hac quest. dub. praecep[er]e.

**Affertio I.** Theologia simpliciter dignior est omnibus habitibus naturalibus evidentibus, adeoque & scientijs Philosophicis quibusunque, siue speculatiuis, siue practicis. H[ec] est expressa doctrina S. Thomae hic quest. 1. art. 5. vbi ex instituto docet, hanc scientiam omnes alias transcendere, tam speculatiuas, quam practicas. Eademque est contentiens doctrina omnium Doctorum & Scholastico[r]um: qua optimè etiam probatur discursu S. Thomae; quem ita explicamus. Scientiarum enim dignitas, vniuersum ex tribus capitibus desumitur. Primo ex praestantia obiecti Quod, tam incomplexi, quod est subiectum attributionis, vna cum sua ratione formalis Quæ, quam complexi, quam S. Thomas hic vocat materiam: Secundo ex ratione formalis obiectiva Quæ, adeoque eriam certitudine; Tertio ex fine. Etenim quod ad subiectum attinet & materiam, est hæc certa & aperta Philosophorum omnium doctrina, dignitatem scientiarum ab eius nobilitate plurimum dependere. Ita enim docet Arist. lib. 6 Metaphysicorum cap. 1. text. 2. vbi de Metaphysica, quam Theologiam vocat, loquens ait: Manifestum est enim, quod sicut diuinum existit, in natura existit, & honorabilissimum (scientiarum) portet circu[m] honorabilissimum genus (subiectum incomplexum ipse intelligit) esse, speculatiu[m] itaq[ue] alijs scientijs preponenda sunt; hac vero (Metaphysica) speculatus.

Et lib. 11. Metaph. cap. 6. in eundem sensum dicit: Pater igitur tria genera speculatiuarum est scientiarum, Naturalem, Mathematicam, Theologiam, optimum quidem speculatiuarum scientiarum genus sharum vero ipsarum ea, qua ultimo dicta est. Circum namq[ue] honorabilissimum entium est: unaquaque vero melior aut deterior dicuntur secundum proprium scibile. Quo vitroque loco aperie Philosophus docet, Metaphysicam ceteris disciplinis naturalibus dignitate antecellere, quod nobilissimum obiectum, siue subiectum consideret, & cuiusq[ue] disciplinæ siue scientiæ dignitas potissimum, immo absolute ex obiecti dignitate estimanda sit.

In eandem sententiam etiam lib. 1. de partibus animalium cap. 5. cum dixisset, vtrumque rerum studiu[m], tam substantiarum, que ingenitæ & immortales sunt, quam quæ ortus & interitus participes, nos delectare, subiungit: Res namq[ue] illas superiores, tametsi leuiter attingere possumus, tamen ob eius cognoscendi generis (siue obiecti) excellentiam, amplius oblectamur, quam cum hæc iuncta nobis omnina tenemus.

Similiter vero quod ad certitudinem, adeoque rationem formalem obiectuum attinet, expressæ etiam docet Aristoteles, ab ea pendere aliquo modo dignitatem scientiæ. Sic enim loquitur lib. 1. de anima, cap. 1. text. 1. Bonorum & honorabilium noritiam opponentes, magis autem alteram altera, aut secundum cer-

titudinem; aut ex ea, quod est meliorum & mirabiliorum est. Hoc est cognitionem rem quidem bonam & honorabilem censemus: vnam tamen magis, quam alteram; siue quia certiore est: siue quod de obiecto meliori & mirabiliori.

Tertiò ad finem quod attinet, docet idem Aristoteles, eam esse præstantiem, qua sui ipsius causa, & propter ipsum scire, quam quæ alterius rei causa, non nisi propter opus expertitur; qua de causâ scientias speculatiuas præfert practicis; & in practicis illas, quæ versantur circa finem altiorem. In hunc sensum scribit Arist. lib. 1. Metaph. cap. 2. Scientiarum quoq[ue] illam, quæ gratia suip[s]ius, & propter ipsum scire, quam illam, quæ aliorum gratia ligenda sit, magis sapientium (adeoque præstantiem) esse. Et principaliter, quam ei subministrantem, potius sapientiam esse; non enim ut sapientia recipiatur, sed ut ille recipiat: Nec vnde ab altero; sed ut ab eo minus sapienti suadeatur decet. Si milia de præstantia scientiæ speculatiuas habet 6. Ethic. cap. vlt. & 10. Ethic. cap. 7. & cit. lib. 11. Metaphys. cap. 6.

Ex his iam facile ad institutum consicitur argumentatio. Illa enim scientia, quæ ex omnibus & singulis illis capitibus, ex quibus dignitas scientiarum dependet, nimis ratione subiecti & materiae, ratione formalis obiecti Quo, & certitudinis; denique etiam ratione finis, ceteris scientijs & habitibus naturalibus dignitate antecellit, vtique simpliciter & absolute ipsidem præstantior est: Theologia est talis: Ergo, &c. Maior patet ex dictis, & ab omnibus est recepta. Minorita sigillata ostenditur.

Primo enim subiectum attributionis Theologia est Deus vt Deus; adeoque non solum vt auctore rerum naturalium, sed etiam supernaturalium; qua ratione Theologia aperte superat non solum Physicam, Mathematicam, Ethicam (vt de Logica nihil dicam) sed etiam Metaphysicam: quæ tametsi Deum habeat aliquo modo pro subiecto, non tamen pro subiecto aequaliter: nec vero etiam Deum, vt Deus est vniuersum, sed solum vt auctore est naturæ & rerum naturalium. Qua ratione superat etiam Theologia eandem Metaphysicam, omnesque scientias & habitus naturales ex parte obiecti complexi; siue vt loquitur S. Thomas hic cit. artic. 5. secundum dignitatem materiae; Quia ista scientia, inquit S. Thomas, est principaliter de y[ob], quæ sua altitudinem rationem transcedunt. Alio vero scientia, considerant et tantum, quæ ratione subdantur.

Secundo superat Theologia alias scientias naturales ratione formalis obiecti Quo, siue quoad rationem formalem obiectuum. Illa enim nititur lumine supernaturali diuinæ revelationis, adeoque principijs reuelatis, vt creditis diuinæ & supernaturali fide, vt dictum quæst. 3. dub. 2. ha[ec] vero solum nituntur lumine naturali rationis humanæ. Qua de causa etiam certitudine plurimum Theologia ceteris scientijs præstat, vt ex instituto probauimus dub. præcedent.

Tertiò excellit Theologia ceteris scientijs naturalibus ratione finis. Primo enim ipsa à toto genere, & simpliciter loquendo, speculativa est, non practica, vt dictum hac quest. dub. 3. quo sit, vt ex hac etiam parte, præstet scientijs practicis, vt est Ethica, Logica: deinde quatenus secundum quasdam conclu-

4

conclusiones etiam practica est; iuxta dictum eodem dub. 3. superat rursus omnes scientias practicas, quarum praestantia potissimum ex fine desumitur: quia versatur circa finem minimam subiectum finibus aliarum scientiarum; sed circa finem ultimum supremae beatitudinis, cui omnes omnium scientiarum fines subservire debent. Ipsa enim considerat actiones humanas, non in ordine ad finem aliquem temporalem huius vitæ, puta honestatem politicam & ciuilitem, qualis in humano coniunctu ad bonum reipublicæ requiritur, sed in ordine ad veram & supernaturalem sanctitatem coram Deo comparandam, ac deum etiam æternæ felicitatis præmium consequendum, non secus quam fides ipsa, qua, ut sibi dicitum, pro habitu principiorum vtitur.

Ex quibus omnibus conficitur, Theologiam simpliciter & absolute omnibus ceteris scientijs naturalibus antecellere: quod his verbis sic q. 1. cit. a 5. asserit etiam S. Thomas, *unde manifestum est*, inquit, *secundum omnem modum, hanc scientiam, omnibus alijs digniore esse*; alijs intellige, siue ut speculativa, siue ut practica est; iuxta ea, quæ S. Thomas antea ibidem prædicta fuerat: Non secundum omnem conditionem, aut perfectionem scientie: quia quædam perfectio scientie est etiam evidenter, quæ tamen conditione superatur Theologia ab omnibus alijs scientijs naturalibus, ut dictum dub. præcedenti, & supra quest. 2. dub. 3.

Præclare etiam de hac re Gerson part. 3. lib. de Consol. Theolog. lib. 1. prola 2. in persona volueris: *Noli mirari, inquit, si theologia philosophia prædicta; quoniam in se naturam gratia, sicut ancillam dominam, & discipulam Magistrum; sicut tempus eternitas, sicut rationationem intelligentia; sicut visibilia ea quæ non videntur; sic Theologia Philosophiam exuperat, quam non abicit, sed in obsequium sumit.*

Obijecies; Theologia, quoad evidentiam cedit omnibus alijs scientijs: Ergo non est simpliciter ijs dignior & excellentior. Respondebit negando consequentiam. Quia dignitas scientiarum, simpliciter & absolute minime lumen ab evidentijs, sed à subiecto & obiecto, ut explicatum. Alioqui Mathematica superaret non solum Physicam & Ethicam, sed etiam ipsam Metaphysicam; quod tamen est expolsè contra Aristotelem locis cit. & contra receptam omnium Philosopherum sententiam. Quæ etiam causa est, cur Aristoteles in comparatione scientiarum, quoad dignitatem, non fecerit mentionem evidentijs. Et rationem iam antea ex Aristotele signavimus, quia melius & optabilius est, de rebus maximis habere etiam cognitionem minus certam vel evidenter, quam de rebus vilibus summam evidentijs. Alia etiam ratio est, quia scientie specificant & distinguuntur à subiecto & obiecto; non autem penes evidentijs, quæ proinde minus principialis est in scientijs, quam ratio subiecti & obiecti.

Quare autem ratio hæc evidentiæ (sicuti ferè etiam certitudinis) non sequatur conditionem & dignitatem subiecti, siue obiecti naturalis, optimam rationem assignat Aristoteles citato loc. de partibus animalium: quia ea sunt nobis magis perfecta, quæ magis nobis sunt coniuncta, ac sensibus (a quibus omnis cognitio huius vitæ dependet) magis obvia: talia vero sunt hæc inferiora terrena & cadu-

ca, non autem sublimiora cælestia & diuina, quæ quo magis sunt à nobis, ac sensibus nostris remota, eo sunt sc̄itu digniora; sed & difficultiora. Qua de causa etiam Aristoteles intellectum nostrum ad illa diuina (quæ manifestissima omnium vocat) relatum comparat vespertilionis oculis, qui clarum diē lucem non nisi nocte possunt aspicere lib. 2. Metaph. cap. 1. text. 1. Ex quibus omnibus fatis comparatur, quod in assertione dictum, Theologiam dignitate præstare simpliciter omnibus scientijs & habitibus naturalibus evidentibus; nec ipsum quidem intellectum, seu habitum, primorum principiorum excipiendo; ob eadem rationes superiorius explicat: Præterim, quando is, ad ipsas etiam scientias singulas, in sua vniuersaliumque materia, ac præcipue ad ipsam Metaphysicam, cuius est aliquo modo principia etiam ipsa tueri, reuocatur, ut dictum supra quest. 2. dub. 5.

Affirmatio II. Theologia simpliciter & absolute antecedit dignitatem etiam vtriusque iuris scientiam. Ita S. Thomas cit. q. 5. a. 5. vbi simpliciter asserit, hanc scientiam dignorem esse alijs. Nec est ullā de hac re apud ceteros doctores controvacia. Probatur. Nam quod primum ad iuris ciuilis peritiam attinet, cum & ipsa sit habitus mere naturalis & humatus, est fere par eius ratio in proposito, cum alijs scientijs naturalibus: quia & ipsa obiecto materialis formalis, certitudines, & sine inferior est Theologia. Obiectum enim eius materiale vniuersum sunt leges ciuiles seu politicae, quibus comprehenduntur virorum prudentium responsa, plebis scita, senatus consulta, constitutiones siue decreta principum, Regum, Imperatorum, ut constat lege 2. ff. de origine iuris, & leg. 1. ff. de legibus senatusque consultis. Has leges explicat & confirmat Iurisprudentia: simul etiam, quid ex ijs consequens sit, ostendit. Quod si leges principium, quædam etiam de fide constituant, id tamen solum materiale obiectum est, nec ad Iurisprudentiam pertinet, nisi quatenus lege principium proponitur.

Obiectum formale quo Iurisprudentia est sola ratio humana & naturalis, quæ omnes leges politicae nituntur. Certitudo veritatis hoc vel illud, quod lege decernitur, esse ratione consonum & reipublica expedientis, in legibus positivis, non maiore est, quæ moralis, in plerisque nulla, sed sola probabilitas, si materia legis secundum se spectetur; nonnunquam pro ratione est sola voluntas legislatoris: cum tamen ex aequo interim omnes bona leges ciuiles, ad ciuilem Iurisprudentiam pertincent. Quaratione etiam iurisprudentia, ceteris scientijs inferior est, præterim, ac speciali ratione Ethicæ, à qua sumit principia, & cui proinde aliquo modo subalternatur. Et si reuera, cum Iurisprudentia, evidentijs principiorum suorum necquirat, nec in plerisque legibus habeat, vel admittat, propriæ nec scientia quidem est: sed siue disciplina legum ciuilium.

Finis per se ac proprius Iurisprudentia, est sola tranquillitas temporalis Reipublicæ: quæ ratione, inquit S. Thomas hic cit. art. 5. præstat quidem scientia ciuilis militari, quia bonum exercitus ad bonum ciuitatis ordinatur; sed Theologia minime, ut circa præcedentem assertiōem dictum.

Quibusrationibus probatur etiam Iurispruden-

tiam Theologiā inferiorem esse, non solum illam quae  
quasi Theorica est, & circa legum universitatem co-  
gnitionem versatur, ac in scholis doceret ac disci-  
let; sed etiam quae magis practica est, & iuxta varie-  
tatem circumstantiarum, constitutionem atque u-  
sum universitatem legum moderatur, easq; ad praes-  
entes circumstantias ac casus particularis vsumque  
Reipublice accommodare nouit, pertinens ad ha-  
bitum prudentiae; sine Architectonica, ut loquitur  
Aristoteles 6. Eth. cap. 8. siue ministerialis; quarum  
illa Principi; hæc subditius in Reipubl. bono pro-  
mouendo conuenit.

Quod vero ad Iuris Canonici peritiam attinet,,  
maior quidem de hac esse potest dubitandi ratio.  
Hæc enim, vt & ipsum Regimen Ecclesiasticum, ad  
bonum spirituale ipsius Ecclesie per se ordinatur.  
Hæc summorū Pontificum & universitatum et-  
iam Conciliorum infallibilia decreta; hec sanctorum  
Patrum sententias, ac sacras Ecclesiæ traditiones  
complectitur. Hæc adeo, quoad materiam, pleraq;  
tractat ex ijs, que etiam à Theologo tractantur: puta  
synceram fiduci doctrinam & confessionem; Sacra-  
mentorum ritè administrandorum ac suscipiendo-  
rum rationem; Ecclesiæ ac Ecclesiasticarum legum  
auctoritatem. Ex quibus fortasse quispiam colligit,  
Canonum scientiam Theologiā, si non superiorem,  
certe tamen non inferiorem esse; cum & materia,  
siue obiecti præstantia & certitudine, & dignitate  
finis, Theologie nihil videatur cedere.

Sed nihilominus etiam hac ex parte firma est af-  
fertio, quam superius ex communi Doctorum senten-  
tia, ut dictum, proponimus. Quæ facile etiam  
probarunt, si Theologiam cum Iuris prudentia, quoad  
singula memorata capita, materialia scilicet, siue ob-  
iectum materiale, rationem formalem obiectiuam,,  
adeoque certitudinem, & finem accuratè contuleri-  
mus. Primo enim, Iuris Canonici materia siue obie-  
ctum material, non est solum & omne id, quod  
de Deo rebusq; sacris ac divinis, per diuinam reuelationem,  
ex scriptura aut aliunde scribi potest: sed solum  
quod de rebus hisce scribi potest per canones Ec-  
clesiasticos, qui sunt propria & ad æquata materia &  
obiectum Iuris Canonici; quod in ijs explicandis &  
elucidandis, ac simul etiam declarandis iis, que ex i-  
psis consequuntur, totū veratur: cum tamen Theolo-  
gia sacra, & Canones ipsos, si quando infallibili  
doctrinæ sacræ argumentum prebeat, comprehen-  
dat; & præterea alia quæ plurima canonibus non ex-  
pressa, ex scriptura diuina, alijsq; fidei regulis de Deo,  
rebusq; diuinis doceat. Quod si Iuris Canonici do-  
ctorialiquid præter Canones, ex scriptura, vel sanctis  
Patribus, aut traditione siue usu Ecclesiæ, de Deo, re-  
busq; sacris & diuinis differendum occurrat; id vel  
prætermittet ipse, vel à Theologia mutuabitur. Tali  
ferè sunt omnia illa, que de altissimo SS. Trinitatis  
mysterio, de arcana Verbi Incarnatione, de Sacra-  
mentorum virtute & efficacie, de Angelorum natu-  
ra & ministerijs, de lapsu & reparacione humani ge-  
neris, ac eius iustificatione, de eterna hominis beatitu-  
dine, ac supremo fine, de virtutum singularium  
proprijs officijs, de peccatorum & vitiorum turpi-  
tudine, de gratia diuinæ necessitate & efficacitate,  
de meritis bonorum operum disputantur.

Deinde quod ad obiectum formale Quo, & quæ

ex eo potissimum desumitur, certitudinem, attinet,  
manifestè quoq; Theologia Canonici Iuris scientiam  
præcellit. Nam Theologia solum & unicè nititur re-  
uelatione diuina, seu reuelatis principijs, & ijs quidē  
potissimum, quatenus in ipsa scriptura laeta conti-  
netur, vt declarabitur quæstione sequenti: at vero  
Iuris Canonici scientia maxima ex parte, diuina re-  
uelatione, seu reuelatis principijs, nullo modo nititur,  
sed sapè, vel particularibus decretis sanctorum  
Patrum, vel Conciliorum particularium statutis, vel  
privatis etiam summori pontificum iudicijs acfen-  
tentij; que nec diuinam reuelationem continent  
aut proponunt, nec infallibilem auctoritatem annexam  
habent; cù tamē ea per se quoq; ac in trinsecè ad Iuri-  
s Canonici scientiam pertineat; non extrinsecè tan-  
tum; prout Theologia non nunquam etiam de Deo, re-  
busq; diuinis probabiliter solum disputata admittit.

Præterea, tamē si Iuris Canonici scientia, quædam  
principia etiam reuelata continet; vi sunt definitio-  
nes Conciliorum generalium & summori Pontifici-  
cum, in rebus ad fidem spectantibus; tamē & ea ipsa  
dignitate cedit scriptura sacra; cuius utiq; maior est  
authoritas, quam Ecclesia; siue hæc in conciliis vni-  
uersitibus, siue in suo capite Romano Pontificere  
præsentetur, vt suo loco in 2. 2. materia de fide ex  
communi docetur. Cuius rei etiam hæc aperta ratio  
est; quia authoritas scripturae sacrae secundum se non  
nititur Ecclesia, at vero definitiones Ecclesia, earuq;  
adeo certudo & infallibilitas, pendet aliquo modo  
a scriptura sacra; ex qua potissimum reuelata principia  
petenda sunt. Et quamvis utraque tam Ecclesia,  
quam scriptura sacra authoritas suo modo infallibili-  
tis sit, excellenter tamen infallibilitatis modus, in ipsa  
scriptura certatur; que nec minimo errori obnoxia  
est; & proprius diuinam reuelationem primamq; veri-  
tatem attingit, quam Ecclesia; hæc enim solummodo  
habet se per modum proponentis, & regulæ ex-  
trinsecè non significans diuinam reuelationem. Scriptura  
vero sacra intrinsecè ad diuinam reuelationem velu-  
ti instrumentum, quo interna veritas Dei nobis reue-  
latur, pertinet; vt etiam in 2. 2. fusus declaratur.

Quod si res accuratius ad calculos reuocetur, faten-  
dum erit, Iuris Canonici scientiam nullam penitus  
infallibilem, & supernaturalem assensum habere, nisi  
qui sit aut ipsius fidei, aut Theologie; dum scilicet de-  
finitione Canonis infallibili, in re aliqua fidei, Cano-  
num peritus, simpliciter, tanquam regulæ fidei &  
principio reuelato adhæret; aut ex eiusmodi infallibili  
Canonis veritate & assensu, addito aliquo alio prin-  
cipio reuelato, auctsaltem premissa altera evidente,  
per bonam consequentiam, aliud colligit; quorum  
prius ad fidem pertinent; posterius ad Theologiam,  
vt colligitur ex his, que superius q. 2. dub. 1. & 2.  
& q. 4. dub. 2. docuimus.

Quæ de causa etiam recte docuit Casius lib. 8. loc.  
Theolog. cap. 7. in his que ad fidem pertinent, Iuris con-  
sistoriorum auctoritate Theologum non egere; quin prius  
eorum titulorum expunctionem, qui de fide decernunt, le-  
gū peritum à Theologo mutuari debere: eiusque rei ratio-  
nem addit.: Sive enim Pontifici es, inquit, seu concilia,  
que in volumine Iuris coguntur, quicquam definiant,  
quod ad fidem p̄mittare videatur, id certe non ex sensu suo,  
sed ex sacris literis, atque Christi & Apostolorum tradi-  
tionibus colligant necesse est. Cum ergo principia, unde

Pontifices

Pontifices & concilia ad questionem fidei decernendam proficiuntur, propriasint Theologicas facultatis, cuius est cognoscere, quae à Deo sunt revelata, quaeq; his sunt vel consequentia, vel repugnantia, plane conjectur, in eiusmodi rebus, canonum sacrorum intelligentiam non à iurisperitis, sed à Theologis esse petendam. Quid idem author pari fere ratione affirmat etiam de his, que ad mora res pertinent, quatenus vellex Euangelica, vel ratio philosophiae Ethicæ, ipsumque adeo naturale lumen rationis, de huiusmodi prescribit.

*Quæ exire, pergit idem author, facilius conjectura est,* Iurisperitos quosdam in summo errore & magna veritatis ignorante versari, cum asservant, in materia iurarum simonie, & alijs eiusmodi, in quibus de peccato mortali agitur, ad iurisperitos potius, quam ad Theologos recurrerendū; quo in errore fuerunt Ancharam in disputacione, cuius iniuriam est, Anisius & modernis temporibus, & Iohannes de Anania in cap. In cunctate de iuris, & Alexander in concilio primo, & Alvarus Pelagius lib. 2. art. 20. & Hesperiensis in cap. penultimum, de etate & qualitate ordinandorum, &c. cum tamē ea, & his simili potissimum ex scriptura sacra, & naturali ratione lumine definienda sint: quorum illa utique ad solum Theologum propriæ; hoc directe quidem ad philosophum moralēm, sed ex consequenti, ac jure quodammodo seruitij etiam ad Theologum, magis certè, quam ad iurisperitum perinet.

Interim negandum non est, in tertio quodam rerum genere, vt recte tradidem author, vbi scilicet de moribus Ecclesiæ, & religionis institutis per leges tantum pontificias decernuntur, seu vbi pœna iuris præficiuntur, iurisperitorum autoritatem & doctrinam non parui esse momenta. Sicut nec leges ciuiles, corumq; interpres negligendi à Theologo sunt, vbi particulatim de Iure & Iustitia; de dominio & præscriptione, de successione & testamento, de publicis actionibus & Iudicis; de pactis & contractib⁹, de restituitione & vindicatione, alijsque similibus rebus agitur, ut recte notauit idem Canus lib. 10. loc. Theolog. cap. 9. Ex quibus satis patet, quod diximus, Theologiam tam quoad materiam, quam certitudinem, rationemque obiectuum Canonici iuris scientiæ præstare.

Sed & ratione finis superiorē esse Theologiam, ita facile ostenditur. Tametsi enim quidem negari non possit, etiam Canonum scientiam, non secus ac Canones ipsos, ad spirituale bonum Ecclesiæ, eternamque hominum salutem ordinari; Theologia tamen hunc ipsum finem multò perfectius attingit, duabus de causis. Prima est. Quia Canonos Ecclesiastici, cum sint quedam leges humanae, directe, ac per se actus ac dispositiones mere internas animi, in quibus tamen potissimum ad salutem momentis est, præcipere non possunt; vt suo loco de legibus docetur: cum tamen Theologia de internis maximè virtutibus, vera nimur in Deum fide, & charitate, vel maximè instruat; diuinaque de ijs præcepit, exacte explicit & inculcat. Altera causa ex priori oritur; quia Ecclesiæ leges & decreta per se directe ac immediate spectant externam Ecclesiæ politiam, & fidelium inter se coniunctionem; leges diuinæ, quas Theologi ex scriptura sacra imprimis, alijsque fidei regulis proponunt & explicant, internam mentis & conscientiæ puritatem potissimum respiciunt. The-

ología igitur tanto perfectius mentes hominum ad eternam beatitudinem consequendam disponit & ordinat: quanto interni virtutum actus, & conscientiæ illibatae puritas, plus ad salutem momenti adferunt, quam actus externi, & conueratio inter homines inculpat.

Consentit his, quæ diximus. Aureolus q. 1. prolog. art. 3. vbi ait: *Scientia Legalis aut Canonica, in positum quidem non est propria scientia; sed memorativa retentio legum, & statutorum. In his vero iuribus, quæ tenentes ex equitate, & ex natura rei, ibi habent iuris scientiam, qualem natura rei patitur; quia & sic continetur sub morali. In Moralibus autem sufficitrationabilitas, nec exigunt Mathematica necessitas, ut pater ex Aristotele 1. Eth. cap. 7.*

Ex quibus omnibus conficitur, Theologiam non solum omnibus scientijs naturalibus, ipsaque adeo etiam virtusque iuris peritus dignorem esse, sed & cum supremam cognitionis humanae regulam continet, atque ad supremum hominis finem perfectissime ordinet, de his omnibus ex officio iudicare; easque sibi à supra illa regula diuinæ regulæ, ac salute æterna deuient, corrigere, & emendare: vii recipi multæ leges ciuiles à sacris Canonibus recte sunt. Sed & Canones quidam particularium conciliorum, vel etiam Doctorum, ad Theologię tritam, & infallibilem regulam verbi diuini recte examinantur: vt in specie videre est apud Iohannem Azorium tom. 1. Inst. lib. 5. cap. 20. & 21.

Quod si Ecclesiæ, conciliorum, vel summi Pontificis, adeoque canonum sacrorum auctoritas uniuersim (vt fit à Seçtatis hoc tempore) negetur atq; rejiciatur: certè qui eam tueri possint, alij non sunt, quam Theologi; ita vt vbi Canonista, suo munere iam perfactus, definit, recitat, videlicet, & explicandi Canonibus, hic Theologia, eo casu, tanquam scientia superior, quasi sursum ascendendo incipiat; cuius est, ipsa etiam iuris Canonici prima principia (Canones dico, & Ecclesiæ decreta) contra impugnatores haereticos tueri. Plura de dignitate sacrae Theologie peti possunt ex ijs, quæ supra q. 2. dub. 5 docimus, vbi probauimus, eam esse sapientiam.

Aduersus hæc, quæ in utraque assertione, prout tendat a sacra Theologia dignitate, diximus, obiectur; Theologiam sacram sacerdotem ope & subsidio, tum scientiarum naturalium, tum imprimit etiam utriusque iuris scientiæ utrāc indigere, ad suum munus recte exequendum, vt nos ipsi etiam paulo antea facti sumus; vnde colligi videtur, eam non superiorē dicti scientijs, sed inferiore esse. Respondetur cum S. Thoma hic q. 5. art. 5. ad 2. negando consequentiam: quia necessitas reialictius, aut scientia, non eo ipso reddit eam alijs, quibus necessaria est, dignior. alias Logica dignior esset omnibus scientijs, quando eius opera & ministerio omnes indigent. Instrumenta quoque artium omnium ipsi artibus & artificibus essent præstantiora, eum sine illis isti efficiere nihil possint: grammatica item præstaret omnibus scientijs, quando sine litterarum cognitione comparari nulla scientia potest. Vritur ergo quidem Theologia subinde etiam aliarum scientiarum, ac ipsius iurisprudentiæ ope; sed velut ministerium, non præcipientium; vt superius etiam q. 1. dub. 2. ex Clemente Alexandrino retulimus.

Verba S. Thomæ ad propositum sunt ista...: Hac Scientia non accipit sua principia ab alijs scientijs, sed immediate à Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab alijs scientijs tanquam à superioribus, sed uritur ex, tanquam in inferioribus & ancillis scientiæ architectonicae uruntur submissis transibus, ut ciuius militari. Et hoc ipsum,

quod sic uritur eis, non est propter defectum & insufficienciam eius, sed propter defectum intellectus nostri: qui ex his, quæ per naturalem rationem (ex qua procedunt alia scientiæ) cognoscuntur, faciliter manuducitur in ea, quæ sunt super rationem, quæ in hac scientia traduntur. Ita S. Thomas. Atq; hæc de attributis Theologis sat.

## QVÆSTIO V.

## De principijs siue locis Theologicis.

S. Thom. I. p. q. I. art. 8. 9. &amp; 10.

**A**bsolutius bcc questio quinque dubijs. I. Quot & quinam sint uniuersim loci ac sedes principiorum Theologicorum. II. Quotuplex sit Scriptura sensus, & quam ad argumentandum efficax. III. An etiam conclusio Theologica ex duabus reuelatis, aut una reuelata, & altera naturaliter evidente, possit esse principium Theologice argumentationis. IV. An etiam sequatur conclusio necessaria, seu certa de fide, si in discursu Theologico præmissa naturalis sit vel de inesse tantum, vel moraliter certa. V. An & quaratione argumenta contra fidem possint solvi.

## DVBIUM I.

Quot, & quinam sint uniuersim loci ac sedes principiorum Theologicorum, & quanam singulorum ratio.

S. Thom. I. p. q. I. art. 8.

**C**um Theologia sit habitus argumentatiuum, ut dictum q. 2. dub. 1. habet utiq; suos etiam quosdam argumentorum ac principiorum locos ac sedes, ex quibus argumenta deponit. Numerus autem locorum Theologicorum varie à varijs constituitur, non tam rerum ipsarum, quam verborum, discrimine, vt inferius dicemus.

Sunt enim primò nonnulli ex Theologis, qui unum tantum locum Theologicum videntur assignare, nimirum scripturam sacram. Ita loquitur Scotus q. 3. prolog. ad questiunc. 3. vbi ait: *Theologia nostra non est actualiter omnium scibilium, prostatu isto: quia sicut theologia beatorum habet terminum, ita & nostra ex voluntate Dei reuelantis. Terminus autem praefixus à voluntate diuina, quantum ad reuelationem generalem, est eorum, quæ sunt in sacra scriptura. Quia sicut habetur in Apocal. ultimo, Qui apposuerit ad hanc, apponet ei Deus plaga, quæ apponuntur in libro isto.* Igitur Theologia nostra de factone non est nisi de his, quæ continentur in scriptura, & de his quæ possunt elici ex ipsis. Similia habet Henricus Gandensis in summa art. 8. q. 6. vbiait: *Tota ista scientia confusa ex veteri testamento & nouo, isto modo imperfectionis, nullum omnino habet imperfectionem, sed est tota perfecta.* Et inferius: *Et sic, inquit, ex Evangelio Christi formaliter habetur omnis veritas, quam posicuit erat per spiritum sanctum Apostolos doctorum.* Similia habet Gerloni tract. de exam. doctrinarum part. 2. considerat. I. Vbi ex authoritate Beati Dionysij refert, nihil audendum dicere de diuinis, nisi

que nobis à scriptura sancta tradita sunt. Et addit: *Quoniam scriptura nobis tradita est, tanquam regula sufficiens & infallibilis, pro regimine totius Ecclesiæ scilicet corporis & membrorum, usq; in finem seculi. Sed & ipse etiam S. Thomas, mox referendus, vnum tantum proprium & necessarium Theologiæ locum refert scripturam sacram; sub qua tamen etiam traditiones, & Ecclesiæ, summi Pontificis autoritatem comprehendit; utpote quas generatim ipsa etiam scriptura commendat, vt inferius assert. 4. dicetur.*

Secondò Bellarminus Cardinalis, tom. 4 controversia 1. lib. 1. & 4. vt & alij Controversiarum Tractatores sepe, omnes veritates fidei, adeoque principia Theologica ad duos generales locos reuocantur, nimirum verbum Dei scriptum, & non scriptum; siue ad scripturam sacram, & traditiones; late hoc nomine accepto, pro omni fidei veritate, in scripturis speciatim non tradita.

Tertiò S. Thomas hic q. 1. art. 8. ad 2. obiter & velut aliud agens, Theologicæ argumentationis latissimæ accepta, quatuor locos commemorat; videlicet primò authoritatem scilicet scripturæ; secundò authoritatem SS. Patrum; tertio authoritatem Philosophorum, aliorumq; scriptorum prophanorum; quartò rationem naturalem: ex quibus primum locum dicit esse, ex proprijs & necessarijs; secundum ex proprijs quidem, sed probabilibus: quod intellige, si singuli, aut aliqui Patres seorsim aliquid tradant; & non omnes simil, in aliquo religionis dogmate, consentiant: tertium ex probabilibus, sed extraneis; quod omnes fatentur: Quarto loco nullum ipse quidem peculiarem assignat titulum; Caietanus tamen ibidem interpretatur, itidem esse ex probabilibus & extraneis; sed non rectè. Nam S. Thomas potissimum respexit ad rationes necessarias & evidentes; vt proinde ex eius mente præcipue sit necessariorum quidem, sed extraneorum.

Quarto Gregorius de Valencia hic q. 1. punc. 5. 1. §. omissis locis extraneis & probabilibus, septem locos